

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5573

Auteur(s) : Rotrou de Warwick, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Bourg-Achard, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1175

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Rotrou, archevêque de Rouen, confirme les biens de l'église Saint-Lô de Bourg-Achard.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 394-396.

Texte établi d'après a

Rotroldus, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, dilectis filiis suis Roberto priori et canonicis regularibus ecclesiae Sancti Laudi de Burgo Achardi, tam praesentibus quam futuris, in perpetuum. Quoniam ad curae pastoralis spectat officium statum sanctae religionis in ecclesia Dei studiose confovere, omnique diligentia et ipsum et fidelium largitiones quibus sustentatur, ne in posterum a malignantibus possint infringi, imminui, infirmari, muniminum firmamentis roborare, statuimus, et vos, et ordinem vestrum, ac beneficia vobis collata sub patronatu et defensione sanctae Rothomagensis ecclesiae retinere, protegere, scriptoque praesenti communire. Exemplis igitur praedecessoris nostri bonae memoriae Hugonis archiepiscopi provocati, justisque vestris postulationibus, ac dilecti filii nostri Rogeri de Planis filii Guillelmi de Planis assensum praebentes, ab eodem Rogero et patre ejus Willelmo et ab avo ejus Rogero de Bosco vobis concessam et donatam, a praedicto Hugone archiepiscopo confirmatam, ecclesiam Sancti Laudi quae est in Burgo Achardi, cum omnibus pertinentiis ejus, in perpetuam elemosinam, et nos vobis confirmamus, ut in ea Deo perpetualiter serviatis et secundum regulam sancti Augustini ordinem canonicorum regularium tenentes, omni deinceps tempore permaneat. Confirmamus etiam vobis decimam thelonei de Burgo Achardi, et molendinorum praedicti Rogeri de Bosco qui sunt apud Pontem Altou : decimam quoque pasnagii, et omnium reddituum de Burgo Achardi, qui ad eundem Rogerum pertinent, et decimam panis domus ejus apud eundem Burgum, et virgultum quod est juxta praefatam ecclesiam ; insuper et totam terram quae est infra ambitum curiae vestrae ; illas quoque triginta acras terrae, et tres acras de bosco, quas Hugo primus prior vester vobis donavit, concessione Rogeri Gule de Maltre, et Marci filii ejus ; et ex altera parte quadragenta quatuor acras terrae, quae descendebant ex parte matris suae ; et terram quam Hubertus de Sotevilla habebat in parochia vestra, quam tantum concessu filiae suae Helissent vobis concessit. Quin etiam servitium et redditus illius terrae, quam Anfridus filius Godonis tenebat de Waltero de Gloz, scilicet octo solidos et duos denarios ex donatione ipsius Walteri ; insuper et sex acras terrae quas tenuit Radulphus Crepinus, de quibus redduntur vobis quatuor solidi in Ascensione Domini. Nichilominus quoque vobis confirmamus quae in diebus filii nostri Willelmi de Planis ecclesiae vestrae donata sunt : totam videlicet terram quae est juxta virgultum vestrum, cum tota mara et virgulto Picoti ; et

terram quam Hugo Bubulcus habebat in mansione, et mansionem quæ erat in atrio, in quâ Julita manebat ; totumque jus quod clamabant in terrâ Walteri Sorel, Nicolaus et Willelmus, fratres ejus, de Kesneio, et Beatrix, mater eorum ; et terram quam dedit vobis Willelmus Roussel, et tres virgatas terræ, quas vobis dedit Restouridus, et quinque acras terræ quas vobis dedit Willelmus filius Restoudi, quando Radulphus frater ejus factus est canonicus, et quinque acras terræ quæ datæ sunt cum Roberto de Quesneio, quando et ipse canonicus factus est, et terram quam Ricardus de Bosco canonicus dedit vobis, cum Radulpho filio ejus, quando idem Radulphus canonicus factus est ; et duas acras quas fratres Hugonis canonici dederunt ecclesiæ vestræ, quando idem Hugo canonicus est factus ; et tres acras quas frater Ricardus secum misit quando frater effectus est. Præterea vobis confirmamus unam acram quam Gervasius de Bouquetot vobis dedit ; et unam acram quam ecclesiæ vestræ Robertus et duo filii ejus Matheus et Willelmus dederunt ; unam minam siliginis quam dedit vobis Willelmus de Piencort apud Bouquetot ; et acram unam quam Hugo filius Roberti, et uxor ejus Agnes, et filia ejus Matildis vobis dederunt ; et unam acram quam Radulphus Paganus et tres filii ejus Rogerus, Robertus, Gaufridus vobis dederunt ; et unam acram quam Hugo vicecomes vobis dedit cum una virgata ad mansuram, ut licentiam ei daremus accipiendi uxorem ; et duas acras quas Tremburgus (?) de Quesneio, et duo filii ejus Henricus et Willelmus dederunt vobis ; et unam acram quam Rogerus de Fontanis, et Willelmus filius ejus vobis dederunt ; et virgatam unam quam tenebat sacerdos Robertus de Bosco Goet, quam Johannes de Bosco Goet concessit ecclesiæ vestræ ; et domum unam quæ est in Burgo et mansuram quamdam quæ est inter cimeterium et furnum ; et terram quam Walterus de Ponte Autou, Robertus filius Baudri, Walterus Parent, Ricardus filius ejus et Osbertus de Lendino super altare sancti Laudi miserunt. Insuper et confirmamus vobis tres acras terræ et virgatam unam quam Durandus de Londa et Radulphus Traceportel gener ejus miserunt super altare ecclesiæ vestræ, cum Ricardo fratre ejusdem Durandi, quando idem Ricardus conversus factus est in domo vestra ; quam quidem terram Durandus in præsentia nostra ab omni exactione et consuetudine quietam et liberam vobis concessit in perpetuam elemosinam: hujus donationis testes adhibiti fuerunt Willelmus de Kesneio, Hugo Ferant, Radulphus de Kesneio, Johannes Estirhet, Ricardus Gandus, Durent frater ejus, Walterus Durent, Walterus Forester, et alii multi. Hiis et omnibus super addimus ex donatione nostra ecclesiam Sanctæ Mariæ et duas capellas ad eam pertinentes de Tubervilla, capellam videlicet Sanctæ Trinitatis, et capellam Sancti Audoeni cum omnibus pertinentiis earum quas vobis in perpetuam elemosinam confirmamus, salvo jure episcopali, et domum etiam unam apud Falesiam quam soror Basilida scilicet ecclesiæ vestræ dedit in perpetuam elemosinam ; molendinum quoque qui est apud Pontem Autou, quem habetis de monachis Gemmetici, cum multa hominum suorum de Ponte Autou, et aliis libertatibus quas vobis in carta sua confirmando concesserunt, ecclesiæ vestræ perpetuo confirmamus possidendas ; duas etiam acras quas dedit vobis Willelmus Capel et unam aliam ad ecclesiæ vestræ luminaria, et viginti solidos Belvacensium, quos W. comes Albæ Marlæ annuatim solvendos ecclesiæ vestræ dedit in perpetuam elemosinam ; necnon et quietudinem per totam terram comitis Mellenti de victu vestro et rebus vestris propriis, et pasnagium porcis vestris, et herbagium bestiis vestris, et boscum ad proprium ignem vestrum ; insuper et quietudinem de passagio et servitiis et auxiliis et talliis, et omnibus consuetudinibus, ut sitis in pace ipsi, et homines, et terræ vestræ, et quieti ab omni perturbatione. Quam consuetudinem Rogerus de Bosco prior in sua terra quietam concessit et dedit, et Willelmus de Planis hoc ex parte sua concessit. Præterea quæcumque possessiones, et bona vobis collata sunt, vel in futurum liberalitate principum, oblatione fidelium quibuscumque justis modis Domino propitiante adipisci poteritis, firma vobis et illibata permaneant, salva sanctæ Rothomagensis ecclesiæ justitia et reverentia. Nulli igitur hominum liceat ecclesiam vestram temere perturbare, aut ejus bona auferre, vel ablata retinere, aut aliquibus molestiis fatigare ; sed omnia integre conserventur vestris et eorum pro quorum sustentatione concessa sunt usibus profutura. Si quis autem hanc nostræ consuetudinis paginam sciens temerare præsumperit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, reum se divino judicio existere et nostram et indignationem beatæ Dei genitricis Mariæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Laudi, et omnium sanctorum Dei perpetrata iniquitate incurrere cognoscat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem ecclesiæ vestræ et vobis jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis accipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Rothomagi, anno incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo quinto, regnante rege Francorum Ludovico, principante in Normannia rege Anglorum Henrico secundo et filio ejus Henrico tertio.